QVAESTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM PARISIENSIVM DIE IOVIS XXVI. MENSIS NOVEMBRIS MAGISTRO GVILELMO LVSSON DOCTORE MEDICO PRÆSIDE SAPIENTISSIMO.

An Methodus præcipuum medendi instrumentum?

NON is Medici nomen verè meretur, qui multa, aut labore, & pretio multo conquisita medicamina in manibus habet, sed qui illis doctè, & accommodatè vti nouit. Hoc autem ille præstabit, qui morbo, causis, & viribus accuratè perspectis, ex vniuscuiusque essentiâ, & quatuor quæ vniuscuiusque essentiam consequuntur, inuentionem eorum quæ sibi præstanda sunt hauserit. Illa enim tria tantum indicant, prohibent, aut permittunt; morbo, & causis contraria, viribus vero similia semper indicantibus: ita vt nunquam symptoma vllum, vt nec pars ex se se indicationem præbeat.

HAS conditiones insuper optima indicatio accipiat oportet, nempe vt indicans à genere summo deductum, in infimam speciem desinat, ratione solâ innotescat, sit notius indicato, sit præsens, sit internum, atque vnum, contrarium vnum indicet, non plura. Sic vtiles indicationes ab iis quæ vsui non sunt, atque artificiosas ab iis quæ arte carent rationalis Medicus disiungens, medendi principium ab iis quæ magis vrgent ducet; tum ad causas principales progredietur, deinde ad eas quæ impedimento sunt, & interpellant procedet; tandem ad morborum curationem accedet, siue vnus sit affectus, siue sint plures.

HOC præstantissimo apparatu adornatus, manu summâ, & septo transuerso laborantibus, interdum ceruici tantum medicamenta admouenda esse intelligit; Ceruice vero, thorace, brachiis, pene, tibiâ; & calcaneo læsis, ossis sacri partibus medetur; nonunquam etiam femore male affecto, axillis. Chylum in pylorum non descendere, atque diureticorum calidiorum vsum in renum, & vesicæ calculo fugiendum esse perspectum habet.

IISDEM præsidiis instructus, sanguinis missionem in medelis præcipuam habet, & cuilibet vacuationi anteponit; eam etiam largâ manu in Gallia celebrandam esse, tutoq; metallica intus assumi nõ posse arcte tenet: chalcanthi chymicis ignibus exustæ liquorem propterea non esse tutum; stibium de quo etiam vis purgans minuta, aut detracta est, atrocius nocere; aquas stillatitias, atque ignium vi eductos liquores quoscumque semper exiguum, sæpe vero damnosum vsum in rem medicam conferre; Curationes denique per solam experientiam, aut analogismum pertentatas, periculi plenas agnoscit.

AT sola methodus tuta; qua nihil in totâ arte præstabilius: quæ vel in eo summam admirationem, atque etiam excellentiam habet, quod quamuis longe plures morbi specie dispares valetudinem nostram profligent quam millies millena millia, singulos tamen pernoscere, nec non etiam depellere Dogmaticus potest. Vnde doctum Medicum sine experientiâ, Empirico sine doctrinâ longè præponendum esse perspicuum est.

Ergo methodus præcipuum medendi instrumentum.

Asserebat Lutetiæ LVDOVICVS SAVOT Sedelocensis. anno salutis 1609.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Georgius Arbaud.
M. Stephanus de la Font.
M. Carolus Bouuard.
M. Claudius Charles Prof. Reg.
M. Guerinus Vignon.
M. Dionysius Guerin.
M. Petrus Seguin Prof. Reg.
M. Ioannes Renou Med. Reg.
M. Petrus Pijart.

